



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio XXXIV. De Iustitia Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

unicum tamen solummodo numero amoris, vel odii, volitionis vel nolitionis actum pro singulis momentis illum parat. Quare licet objectum propositum velle quis aut nolle possit, amare vel odisse; imò ab omni penitus actu cessare, si tamen ad operandum se determinet, hunc numero tantum amoris vel odii, volitionis vel nolitionis actum, non alium, eliciat necesse est: ad hunc quippe tantummodo actum Deus concursus parat, qui concursus, ut diximus, omnibus est ad agendum absolutè necessarius.

VII.
Vltorius ostenditur, quo pacto Deus determinando ad individuacionem, non tollat libertatem.

Hinc ergo clarè constat, Deum determinando ad individuacionem, non tollere libertatem; actus siquidem eius quo hoc facit, est virtualiter conditionatus, quasi dicat, si operari velis, hunc, non alium actum elicias: per hoc tamen non omnino eum ad quidquam agendum compellit, sed plenè in illius potestate operari necne velit, relinquit. Sicut exempli gratiâ, si quis volenti scribere calamos omnes, præter unum, auferat; hic eum ad scribendum non determinat, nec dici omnino potest causa cur scribat; imò nec etiam propriè cur hoc calamo scribat, sed est causa potius cur non scribat aliis; is autem qui scribit, est causa cur scribat hoc calamo, cum uti eo velit, potens non uti: alter autem non vult absolutè ut illo utatur, sed solum conditionatè, quasi diceret, si velis scri-

bere, scribes tantum hoc calamo, seu hoc vel nullo. Quæ omnia fusiùs declarata sunt Disputacione illâ 21. Physic. Sect. præcipuè secundâ, nec ea opus est hic repetere.

Tertia difficultas est de actione præfinitivâ, qua scilicet Deus absolutè vult actum aliquem voluntatis à nobis elici: qua de re, non levis est inter Auctores controversia, affirmantibus aliis, aliis negantibus posse libertatem nostram cum huiusmodi absolutâ Dei voluntate consistere; quam ob causam negant Deum, qui nos juxta naturæ nostræ exigentiam gubernat, & modo creaturæ liberæ conformi: negant, inquam, illum ulla creaturæ rationalis actiones præfinire. Mihi nihilominus visum semper est probabilius, voluntatem Dei præfinitivam scientiæ mediæ præsertim, seu conditionatæ de effectu liberè, si tale vel tale detur auxilium, aut homo in his vel illis potatur circumstantiis, futuro, non tollere libertatem, ut ostendi Disput. 25. de Anima, ubi hanc questionem latè discussi, quam proinde hic, sicut cætera in Philosophiâ disputata, omitto, ne actum agam, & idem, nullo operæ fructu, inutiliter repetam. Utrum autem de facto Deus actus aliquos prædefiniat, aut prædefinierit, res est altioris indaginis, quam in materia de Prædestinatione, Deo dante tractabo.

VIII.
Volitio qua Deus actum aliquem præfinit, non tollit libertatem.

Potest Deus actus nostros liberos prædefiniere.

DISPUTATIO XXXIV.

De Iustitia Dei.

NVLLA celebrior hodie in Scholis questio, majoreque contentione agitata, quam de divina Iustitiâ; an scilicet Deum inter & hominem, vel Angelum, stricta & rigorosa intercedere possit Iustitia. Hæc verò controversia quamvis in tertiâ Parte tradi à nonnullis soleat, dum de satisfactione Christi: hic tamen proprius videtur de eâ disputandi locus, præsertim cum hæc primâ Parte, quest. 21. à S. Thomâ proponatur; cujus proinde Vestigiis insistens, hic eam discutiam. Quia verò rem hanc maximâ ex parte eò recidere video, si Deus pactum aliquod hujuscemodi rigorosæ justitiæ cum creaturâ rationali ineat, fore ut aliquid ei de perfectissimâ libertate, plenèque in res omnes dominio decedat, & nonnulli, ut hunc modum solvant, duos in solidum ejusdem rei dominos esse posse affirmant: Hæc primum questio est resolvenda.

SECTIO PRIMA.

Prænotantur quedam circa dominium ejusdem rei in solidum.

I.
Non est hic sermo de dominis subordinatis.



N questione utrum duo esse possint domini ejusdem rei in solidum, non est sermo de dominis subordinatis, qualia sunt dominium Dei & creaturæ; homo quippe, & Angelus, licet habeant dominium suarum operationum, quarum etiam dominium habet Deus, non tamen sunt ex æquo earum domini cum Deo, utpote à quo in essendo & operando, essentialiter pendent, & quicum

contrahere pro libito non possunt, sed solum ubi ipse dignatus fuerit se ad hujusmodi pacta demittere, & contractus cum creaturâ suâ inire; sicque non sumus ex æquo possessores cum Deo. Quod idem etiam suo modo contingit in creatis, sicubi ejusmodi reperitur subordinatio.

Jus proinde creaturæ juri Dei cedit in ordine ad actus omnes, & usus Deo possibiles: in his enim omnibus ita Deo subsumus, ut plenè de nobis queat disponere. Unde non tantum actus nostros, tum ut Dominus jurisdictionis, tum proprietatis exigere à nobis potest, sed etiam post pactum de mercede, gratiâ scilicet vel gloria (si ejusmodi pactum ex justitiâ inire Deus queat cum creaturis, de quo postea) potest Deus sine cuiusquam injuria hanc numero gratiam vel gloriam ei auferre,

II.
Jus nostrum cedit Deo, in ordine ad usus omnes Deo possibiles.

Peculiares circumstantia, quibus jus nostrum subditur iuri divino.

auferre, ablatamque alteri dare, aut etiam destruere, modò ejus loco aliam illi tribuat, quod tamen homines in rebus quæ in aliorum potestate sunt, facere nequeunt; nec enim Petrus à Paulo equum auferre aut agrum potest, & dare alteri, quantumvis alium æquè bonum illius loco substituat. Hanc item numero gratiam, quam tanquam mercedem habet Petrus vel Angelus, potest sine illius injuriâ Deus simul Paulo dare, aut alteri Angelo, in eodem vel diverso loco-existenti. Quod similiter de lumine gloriæ, & ipsâ etiam visione dici potest, si duo intelligere per eundem actum, seu qualitatem queant.

III.
Non rectè quidam dominium in solidum accipiunt.

Ut autem vitetur quæstio de nomine, statendum inprimis est, quid per dominium in solidum intelligatur: nonnulli siquidem, ut dominium in solidum penes duos aut plures reperiri posse defendant, in eo hoc dominium situm esse affirmant, ut quoties Petrus & Paulus ita equum exempli gratiâ, aut aliud quidpiam possident, ut alternis tantum diebus singuli uti plene illo possint, altero non inturbante, hodie scilicet Petrus, cras Paulus, & sic deinceps: quid enim verè, hoc modo duobus donari equum, ut plenus ejus usus alternis solummodò diebus, septimanis, aut mensibus, cuique per vices competat? In hoc ergo casu dicunt, dominium ejusdem rei in solidum in duobus inveniri.

IV.
Dominium duobus alternatim competere posse nullus negat.

At sanè hoc non est dominium in solidum, de quo disputant Scholastici; ejusdem enim rei dominium duobus hoc modo alternatim competere posse nullus negat, cum tamen ex Theologis plerique, & Iurista ad unum omnes, negent posse dominium in solidum penes duos consistere. Sic apud nationes quædam in more positum videmus, ut duo alternatim exercitui cum potestate præsent, & unus hodie, cras alius Imperatoris munere fungatur, plenumque imperium obtineat. Sic nihil in veteri testamento frequentius, quam Polygamia, seu ut duæ, vel plures uxores in eundem maritum jus modo dicto acquirerent: quod, cum Theologos illos & Iuristas latere non potuerit, nunquam dominium in solidum negassent, si in sensu horum Recentiorum illud accepissent, & æternum hujuscemodi jus ac potestatem, dominium in solidum esse existimassent.

Varij alterni domini juris excepta.

V.
In quo situm sit dominium in solidum, ut de eo disputant Auctores.

Dominium itaque in solidum, ut de eo in præsententi disputant Theologi, est plena & perfecta potestas de re aliquâ disponendi in ordine ad omnes ejus usus & effectus; hoc enim sonat vox *Solidum*, perfectum scilicet & integrum, & non ad aliquos tantum, sed ad omnes rei usus extensum, ut nimirum illam totam alienare pro libito, vendero, destruere, & id genus alia, citra cuiusquam injuriam possit, plenèque illam sibi arrogare, & in suum commodum, nullo inturbante convertere. Hoc ergo sensu de eo deinceps, hujus decursu disputationis loquemur.

VI.
Aliud est, duos habere ejusdem rei dominium, aliud habere dominium ejus in solidum.

Ex his patet responsio ad casum à quibusdam hic propositum, in quo aiunt ejusdem rei penes duos esse dominium in solidum; quando scilicet duorum frumentum (idem est de vino, oleo, & similibus) ita permixtum est, ut unum ab alio discerni nequeat. In hoc tamen casu dico, quamvis uterque totius illius cumuli frumenti sit dominus, ut non semel in jure habetur, in Institutionibus de rerum divisionibus, §. *si duorum*, §. *si frumentum*, & aliis locis: dico, inquam, neutrum esse dominium illius in solidum; hæc enim duo sunt diversissima, duos nimirum esse ejusdem rei dominos, & dominos ipsius in soli-

dum; si enim duo communibus impensis equum emerent, uterque esset equi illius dominus, neuter tamen in solidum, sed ambo inter se laborem equi & utilitatem partiri deberent, & quisque sibi invicem in ejus usu suas vices permittere.

Eodem modo in præsententi, licet uterque sit dominus totius illius frumenti, ita statuentibus legibus ad confusionem vitandum, quia neuter quodnam frumentum in eo cumulo sit suum, discernere potest, nec unum ab alio distinguere, (contrarium existimarem de Angelis) neuter tamen est illius dominus in solidum. Quare potest ulterius, altero etiam invito, mediam frumenti illius partem consumere, vendere &c. hinc enim nullum sequeretur justum inter eos dissidium, cum quisque suo jure utatur, neuter tamen totum frumentum in suos posset usus convertere, alter enim jure obsisteret, & suam in eo sibi partem vendicaret. Neuter ergo est illius dominus in solidum.

VII.
Quid in hoc casu agere uterque alicuius dominium possit.

SECTIO SECUNDA.

Positne perfectum dominium in solidum inter duos inveniri.

QUÆSTIO est, utrùm res eadem ita ad duos vel plures spectare possit, ut quisque de eâ plene disponere, & in suos usus integrè convertere possit, totamque sibi, citra cuiusquam injuriam, arrogare.

Prima sententia est negativa: ita Juristæ omnes, habeturque in variis legibus, in quibus tanquam regula juris statuitur, dominium ejusdem rei in solidum penes duos esse simul non posse: hoc traditur lege si cerdò, §. *si duobus*, §. *Ex contrario*: ff. *De acquirenda possessione*. Hanc etiam sententiam sequitur P. Vasquez To. 1. in 3. partem, Disp. 8. cap. 4. & Disp. 87. cap. 6. & plurimi ex Theologis. Ratio est, quia sic daretur bellum justum ab utraque parte.

Secunda sententia affirmat dominium ejusdem rei in solidum, quamvis diuturno tempore in duobus persistere nequeat, ob rationem proximè allatam, justum scilicet utrimque dissidium; nil tamen obstare asserit, quo minus unico instante inter duos reperiat. Imò hoc de facto contingere docent hujus sententiæ Auctores, quoties unus alteri rem aliquam donat; in instanti enim donationis, inquit, res simul & donantis est, & accipientis: ita P. Hurtado, Disp. 12. de Incarn. sect. 5. Card. de Lugo, Disp. 3. de Incarn. sect. 1. num. 15. & de Jure & Just. d. 2. sect. 2. Arriaga 1. p. d. 30. sect. 2. sub. 2. initio: Waddingus d. 11. de Incarn. dub. 4. & alii nonnulli ex Recentioribus.

Dico primò: probabilius mihi videtur, duos vel plures posse divinitus ejusdem rei esse in solidum dominos. Ratio est: si enim Deus equum aut librum, quem Petrus habet Leodii, multiplicet, ac det Paulo Romæ, uterque ex æquo possessor videtur & dominus illius equi, vel libri, usque pro libito uti posse.

Nec in hoc casu ullum videtur periculum rationabilis discordiæ, aut belli justî; cum enim res sic multiplicata, sit virtualiter duplex, nullus usus Petri impedit usum Pauli, nec è contrâ, sic circumliber quippe in duobus locis constitutus, ad diversissimos, imò secundum se contradictorios usus sufficeret, ut ostendi Disp. 35. Phyl. sect. 5. unde perinde

I.
Stans qui

II.
Prima sententia versus negat dominium in solidum.

III.
Secunda sententia docet, dominium in solidum per uno instante non repugnare.

IV.
Nil erat, duos vel plures dominos esse ejusdem rei dominos in solidum.

V.
Res in duobus locis constituta, cum sit circumliber duplex, non potest esse causa dissidii.

perinde esset Paulo Romæ, ac si Petrus equum illum, aut librum, non haberet Leodii. Conf. quidni possit Deus, ut suprâ etiam ex aliâ occasione dixi, eandem numero gratiam, vel habitum aliquem naturalem, aut supernaturalem, dare duobus Angelis, loco inter se diffitis; tunc enim uti illis uterque posset ad omnes usus, ad quos jus ejus & dominium se extendit. Unde licet etiam quis eos fingeret inter se penetrari, nullum quoad hoc foret justæ dissensionis periculum.

VI. Dico secundò: in quibusdam etiam rebus, naturaliter dari potest dominium in solidum nec unius tantum instantis, sed temporis diuturni. Ponamus exempli gratiâ, hominem aliquem à duobus, vel pluribus, non per modum unius, sed disparatè se habentibus, & fortasse insciis, conduci, justamque à singulis accipere mercedem, ut statuto tempore eat Romam: in hoc casu, omnes ad illud iter Romanum, & ad hanc hominis istius operam jus habent, & dominium in solidum; ita ut si alii omnes præter unum, stipendium suum reciperent, nihilo tamen secius ire teneretur: quod manifesto indicio est, eum omnibus in solidum obstringi. Hic tamen, ut constat, nullum est justæ belli, aut discordiæ periculum, cum ex unâ parte, omnium voluntates eodem tendant, & in iter illud certo tempore faciendum conspirent, nec sibi ullâ ratione sunt impedimento: altunde verò iter illud unicuique est æquè proficuum, ac si in gratiam illius unius fuisset susceptum. Idem est de duce viæ, Præceptore, & similibus, quorum opera alicui unâ cum aliis æquè utilis est, ac si illi soli impenderetur.

VII. Dico tertio: in iis rebus, quarum usus & utilitas est divisibilis, reperiri in duobus, longo saltem tempore, non potest dominium in solidum: ita omnes, tum Theologi, tum Jurista. Ratio est, sic enim seclusâ ignorantia, dari posset rationabilis inter duos dissensio, & bellum justum ab utraq; parte, quod tamen omnes magnum censent inconveniens. Sequela verò probatur; ponamus enim Petrum & Paulum esse dominos hoc modo in solidum, & plenè possidere eundem equum, aut ovem: fieri potest ut uterque eodem tempore exercere hoc suum dominium statueret, & Petrus uti illo equo vellet ad colendam terram, Paulus ad iter faciendum; Petrus eum vendere intenderet, Paulus retinere; Petrus occidere ovem suam, Paulus suam servare etiamnum cuperet, & sic de cæteris, adeoque dum suum quisque jus tuctur, jure sibi invicem obstant, ac licitam utrinque litigandi ansam sumunt, justique, ut aiunt, belli occasionem.

VIII. Dico quartò: non pro longo tantum tempore, sed nec pro unico instante dari inter duos potest dominium ejusdem rei in solidum. Hæc conclusio contra eos statuitur (inter quos est P. Arriaga hic, d. 3. sect. 2. sub. 2. initio, & sect. 5.) qui asserunt, uno instante, instante scilicet donationis, dominium ejusdem rei in solidum penes duos & posse, & de facto semper existere, donantem scilicet, & donatarium; in illo enim, inquit, instante esse nequit periculum discordiæ, aut belli justæ, cum tunc dissentire inter se eorum voluntates non possint; Petrus enim habet voluntatem dandi equum, Paulus accipiendi, sicque in idem uterque conspirat.

IX. Sed contra: nil enim vetat, quo minus illo instante velit Petrus equum dare Paulo, & nihilominus eodem instante aliquid circa equum illum velit, quod Paulus nolit: imò potest simul velle

illum dare, & retinere physicè; dare enim aliquid, est jus alteri conferre, seu potestatem moralem eo utendi, ita ut de illo disponendo, nemini censeatur facere injuriam: quo non obstante, velle potest rem illam physicè retinere, vel aliud circa eam agere, quod Paulus rationabiliter fieri nollet. Angelus saltem respectu alterius Angeli quid simile facere posset, cum operari queat instantaneè.

Secundò probatur: si non repugnet, duos pro uno instante esse dominos ejusdem rei in solidum, ergo poterit Deus in instante A, duobus hominibus rem eandem, librum scilicet, vel equum dare, eosque in instante illo donationis constitutere illius dominos in solidum, quo tamen casu possent eorum voluntates discordare, ac dissidium circa rem illam inter ipsos oriri, & belli justæ occasio: ergo saltem dici univèrsim nequit, dominium in solidum ejusdem rei inter duos pro uno instante non repugnare.

Sed quia Auctores hujus sententiæ non ad unum tantum instans rem hanc, & controversiam de dominio in solidum referunt, sed ad unicum etiam actum dandi & accipiendi, momento inter duos exercitum, seu ad instans donationis, in hoc instans accuratius inquirendum, videndumque quo modo res hæc transigatur, & ad quem illo instante res donata spectet, dantem scilicet, an accipientem; si enim ex naturâ hujus pacti, seu contractus, ostendero ad alterum tantummodo rem illam spectare, ruit fundamentum, quo nituntur hi Recentiores ad probandum, eam in instante donationis ad utrumque pertinere. Unde præcipua sententiæ, dominium in solidum in instante donationis inter duos statuentis impugnatio pendet à sect. sequente.

SECTIO TERTIA.

Cujusnam rei in fit instante donationis, dantis, an accipientis.

DOCTRINA quidam recentiores acriter contendunt, rem instante donationis esse solius dantis, & nullo modo accipientis; in hujus enim potestatem in secundo tantum instante transire eam asserunt, in quo & donatarium rei datæ dominium acquirere aiunt, & donantem amittere: primo autem instante manifestum iis videtur, illius rei dominium esse penes donantem, exercet namque tunc actum domini, ergo illud tunc habet, exerceri enim non potest quod non est.

Dico tamen primò: res in instante donationis est accipientis, seu donatarii, isque non in secundo tantum, sed primo instante accipit illius dominium. Hæc conclusio statuitur contra secundam partem sententiæ, proximè proposita, quantum asserunt rem datam, in instante donationis non esse accipientis.

Probatur Conclusio primò: sicut Christus primo conceptionis instante fuit Rex omnium, ita potest Deus homini alicui puro, vel Angelo, regni alicujus, aut etiam totius Universi dominium largiri: sicut ergo Christus naturâ, ita alius ex liberâ Dei concessione posset primo productionis instante dominium rei alicujus accipere.

Confirmatur: eo instante quo sacerdotalis cuiquam dignitas confertur, est verè sacerdos, & tanquam tessera illius dignitatis character ei imprimitur,

donatarium esse dissensio voluntatum.

X. *Si Deus duobus rem eandem donet, potest primo instante eorum voluntates discordare.*

XI. *Præcipua ratio contra dominium in solidum desumitur ex sectione sequente.*

I. *Prima sententia ait, rem instante donationis esse solius dantis.*

II. *Res in instante donationis est accipientis.*

III. *Ostenditur rem primo donationis instante esse accipientis.*

IV.

Exemplis variis probatur aliquid eo instanti quo datur esse donatarii.

imprimatur, ita ut si sequente instanti moreretur, character ille, impressus ejus animæ hæret, & verè moreretur sacerdos: pari ergo modo, sicut dignitas hæc spiritualis, primo instanti quo datur, recipitur, & est accipientis, ita si honor aliquis, seu munus temporale, Comitibus scilicet aut Ducibus cuiquam dignitas daretur, eo instanti quo datur, is esset Dux, aut Comes: & si signum aliquod, seu character velut tessera hujus dignitatis (ut in dignitate sacerdotali contingit) imprimeretur, illo etiam primo instanti imprimeretur; ergo is primo instanti collationis, habet dignitatem illam, ergo est tunc accipientis. Ulterius itaque, si eodem instanti prædium ei aliquod, aut pecunia daretur, esset similiter illius dominus; ergo res in instanti donationis est accipientis.

V. Vterius ostenditur, accipientem in instanti donationis habere dominium rei data.

Probatur Conclusio secundò: peccator in instanti absolutionis est absolutus, & recipit gratiam, eamque verè possidet. Item in instanti emissionis voti, est aliquis verè religiosus, licet sequente instanti moreretur: unde si illo instanti, aliquid vellet contra vota tunc emissa, committeret sacrilegium, idque licet posset sequente tempore vel instanti ab actu illo peccaminoso cessare: quod clariùs constat in Angelo, casu quo votum aliquod emitteret, & eodem instanti aliquid contra votum illud, aut faceret, aut vellet.

VI. Appetitissimum exemplum ad probandum, accipientem habere dominium rei data.

Hoc idem magis adhuc appositè ad rem præsentem ostenditur in matrimonio, quod est verus contractus iustitiæ, per quem ipso instanti contractus dant sibi invicem contrahentes suorum corporum dominium, & vicissim accipiunt, peccantque eo instanti interius contra castitatem, esset reus peccati adulterii: imò ulterius, si sequente instanti alter conjugum moreretur, moreretur conjugatus matrimonio rato, & esset in conjugate superstitite impedimentum dirimens ad contrahendum cum consanguineis sponsi in gradibus ab Ecclesiâ prohibitis. Ex hoc ergo exemplo clarè ostendi videtur, rem in instanti donationis, esse accipientis, cum illo instanti & vir dominium corporis uxoris habeat, & uxor viri. Hæc conclusio magis constabit ex probatione sequentis.

VII. Res in instanti donationis est tantum accipientis.

Dico secundò: res in instanti donationis, est solius accipientis, & non donantis. Hæc est præcipua conclusio in hac materiâ; quæ si probetur, apertè constabit, dominium in solidum in instanti donationis, penes duos esse non posse, si enim donans non sit tunc rei illius dominus, sed solus accipiens, manifestum est rei datæ dominium in duobus simul illo instanti nunquam reperiri.

VIII. Ratio à priori, cur donans non habeat in instanti donationis, rei data dominium.

Probatur itaque Conclusio primò ratione à priori: donatio siquidem est quedam rei destructio; sicut enim per corruptionem physicam, seu suspensionem concursus, res perit physicè, ita per suspensionem concursus moralis, quæ est volitio rem illam possidendi, seu retinendi, res ei, qui illam possidebat, perit moraliter, seu civiliter; sed per donationem suspenditur volitio rem illam retinendi, dicit enim, nolo hoc instanti esse illius dominus, sed volo ut alius loco meo eam hoc instanti possideat; ergo tunc suspendit concursum moralem conservativum illius domini, ergo illo instanti non magis persistere potest hoc dominium, quam res aliqua physica, homo scilicet aut equus, eo instanti quo suspenditur concursus illius conservativus. Conf. sicut in transubstantiatione, eodem instanti quo ponitur actio transubstantiativa, res perit, & transit, seu transfertur in aliud; ita in hac translatione morali, eo instanti quo fit, res perit priori domino, & transit ad secundum.

Res hæc declaratur exemplo.

Probatur secundò: primo instanti quo perficitur contractus matrimonii, sunt verè conjugati, ut latius ostendi num. 6. & dant invicem illo instanti, simulque accipiunt corpori dominium; sed in matrimonio secundum Apostolum 1. ad Corinthios 7. v. 4. conjuges non habent suorum corporum dominium; de matrimonio enim junctis loquens, sic habet: *Mulier, inquit, sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*: ergo juxta Apostolum, formalissimè per contractum matrimonii, seu eo ipso quòd sint conjugati, amittunt dominium sui corporis, sed primo instanti quo perficitur hic contractus, sunt conjugati, ut est certum, & latius numero illo 6. ostensum est; ergo illo instanti dominium corporis est solum in accipientibus, non in dantibus, & hi dando, illud amittunt.

Probatur tertio in iis, quæ nostra sunt per unionem physicam, & consequenter eo instanti, quo perit hæc unio, res amplius non est nostra. Sicut ergo partes acquisite per nutritionem, primo instanti aggenerationis sunt nostræ, ita similiter partes deperditæ, primo instanti deunionis desinunt esse nostræ. Sic etiam anima, quamdiu corpus informat, dominium in illud habet, & in omnia illius membra; at ubi est deunita, si quis corpus illud laceret, aut mutilet, non facit animæ injuriam. Ponamus itaque (quod saltem divinitus non est cur fieri nequeat) ponamus, inquam, animam quæ corpus aliquod informat, jure suo ad corpus illud, cui immediatè antè uniebatur, cedere in instanti A, & eodem instanti quo se hæc anima in gratiam alterius deunit, altera intimè illi præfens, ex prioris consensu se corpori illi uniat, & illius loco succedat, illo instanti corpus illud non est primæ animæ, sed secundæ, sicut primo instanti quo prior anima succedebat formæ embryonis, materia illa erat ipsius; ergo corpus illud in instanti donationis, non est animæ donantis, sed alterius quæ illo instanti id possidet. Quod faciliùs intelligitur in duobus Angelis intimè inter se penetratis, quorum unus qualitatem aliquam, vel naturalem, vel supernaturalem, quam per unionem physicam sibi habet unitam, determinato aliquo instanti, alteri per unionem physicam concederet possidendam.

Probatur quartò: sicut vovens, instanti quo vovet, obligatur, ita qui se alteri in servum tradit, eo tempore vel instanti, quo se tradit, amittit libertatem; ergo eo instanti quo manumittitur, est de nudò sui juris & liber, & consequenter is qui manumittit, instanti manumissionis non habet illius dominium; nec enim esse potest dominus sine servo; ergo idem est de aliâ quacunque alienatione vel donatione. Et sanè mirum est, eum qui jure suo ad rem aliquam cedit, eo instanti & pro instanti quo cedit, esse adhuc illius dominum, & ejus possessionem retinere. Veritas hujus conclusionis magis constabit ex solutione argumentorum.

IX. Ex contractu matrimonii, ostenditur rem datam, in instanti donationis, esse solius accipientis.

X. Res hæc claratur exemplo duarum animarum, vel Angelorum intimè penetrantium.

XI. Omnis alienatio præstanti quo fit, perit hominem donantem.

Cessio juris non fit à jure, seu donatione.

SECTIO QUARTA.

Solvitur præcipuum argumentum, quo contendunt Recentiores, rem instanti donationis esse donantis.

I. **C**ONTRA doctrinam itaque hætenus stabilitam, rem scilicet instanti donationis non esse donantis, objiciunt Recentiores aliqui: Alienatio seu donatio rei est usus quidam & exercitium domini proprietatis; ergo illo instante est dominium in alienante, seu donante, alioquin uti eo non posset. Respondetur distinguendo antecedens: est usus conservativus domini, nego antecedens; est usus illius destructivus, concedo: ad hunc autem non requiritur, imò repugnat, ut tunc existat dominium: quamvis non possit omnino proprie vocari exercitium domini, ut ostendam sect. sequente, num. quinto. Ad hujusmodi ergo usum sufficit dominium immediate antè existisse, & esse indifferens, ut in sequente instante conservetur, nisi donans, rem alienando, seu alteri dando, se illo privet. Sicuti cum quis in instanti A, exempli gratia, physice destruit rem suam justè, non id facit per jus aut dominium, quod tunc in rem illam habet, nullum enim habere potest dominium in id quod nihil est, sed ad hoc sufficit rem immediate antè fuisse ipsius, eumque jus in illam habuisse, quamvis illo instante non habeat, cum res illo instante non existat, & consequenter non sit capax ut quis illius habeat dominium.

II. Urgebis: in hoc instante, quo quis rem alteri donando, dominium illius destruit, est potens pro aliquo priori, non solum non illud destruere, sed actus etiam positivos circa rem illam exercere; ergo pro aliquo priori illius instantis, habebat donans rei illius dominium; sed quicquid est pro aliquo priori naturæ in aliquo instante, non potest in eodem instante destrui, sic enim esset simul & non esset; ergo donans toto illo instante habet rei datæ dominium.

III. Sed contra: hoc enim argumentum solvere omnes debent in corruptione physica; ut enim res destruat, debet fuisse; & ut destruat justè, debet fuisse illius qui destruit, & tamen instante quo destruitur, non est illius, cum omnino non sit; nullus autem possidere potest id quod non est, nec habere illius dominium.

IV. Confirmatur exemplo domini & servi; instante enim quo perit servus, Petrus, cui antè serviebat, non est amplius illius dominus, idque licet Petrus eum suâ manu occidisset, sive justè, ex permissione scilicet magistratus, sive crimine morte dignum; sive injustè; implicat siquidem dominus sine servo. Dicunt aliqui, Petrum mortuo servo, non quidem esse dominum logicum, sed dominum physicum. Sed contra primò; dominus etiam physicus, siquis ita loqui velit, est alicujus dominus; servus autem mortuus nihil est; ergo non potest esse dominus, etiam physicus, sine servo, magis quam servus physicus sine domino. Contra secundò: ergo eodem modo dicant, Petrum, respectu filii mortui, esse patrem physicum, Paulum similiter filium physicum respectu parentis mortui; item esse aliquem maritum physicum respectu mortuæ uxoris, & è contra, uxorem physicam respectu viri mortui; quæ tamen sunt in scholis inaudita, & contra communem om-

nium conceptum, omnes siquidem uno ore affirmant, Patrem, filio mortuo, nullo modo esse patrem, nec è contra; & altero conjuge mortuo certum est, matrimonium ipso primò mortis instante penitus dissolvi.

Ad id autem quod num. secundo in replicâ addebatur, Petrum scilicet illo instante, quo equum alteri donabat, seu alienabat, potuisse actus positivos circa illum exercuisse: fateor, hoc tamen non arguit, cum de facto habere tunc equi illius dominium, sed potuisse habere, seu retinere, si per rei alienationem illud non destruxisset.

Ad quam rem, notandum (quod meo judicio non satis advertunt contrariae sententiæ auctores) aliud esse, habere dominium alicujus rei, seu potestatem de illâ in quoscunque usus disponendi; aliud, habere potestatem ad hanc potestatem seu dominium habendum. Is ergo qui rem suam, equum scilicet, aut librum, vel alienat, vel destruit, habet pro aliquo priori potestatem illum non alienandi, aut destruendi, sicut & non destruendi illius dominium, & hanc potestatem retinet toto illo instante: nec rem tamen, nec rei dominium instante illo retinet, hoc quippe, cum in re fundetur, unâ cum illâ perit. Unde rem suam alienans aut destruens, non habet proximè potestatem moralem de illâ disponendi, sed solum remotè, id est, potuisset etiamnum eam habere, si rem alienando aut destruendo, illam pariter potestatem non alienasset aut destruxisset.

Res hæc à simili declaratur in operatione physica: Deus cum homine aliquo, vel Angelo, ut potest, hoc pactum inerat: quamdiu tu actum amoris Dei naturalem eliceris, dabo tibi habitum supernaturalem vel auxilium supernaturale extrinsecum, ad actum amoris Dei supernaturalem eliciendum: Angelus per tria instantia continuat actum illum amoris naturalem, & consequenter habet tribus illis instantibus principium illud supernaturale, & potestatem eliciendi actum amoris supernaturalem, quarto instante cessat ab actu illo amoris naturalis, sicque eodem instante tollit ab eo Deus habitum, vel auxilium supernaturale. Hic itaque Angelus pro nullo priori illius quarti instantis est proximè potens ad actum amoris supernaturalem eliciendum, quia pro nullo priori habet principium supernaturale ad eum necessariò requisitum, sed ad actum illum est potens solum remotè, id est, in potestate illius erat, ut esset potens proximè, nisi sponte se principio illo supernaturali privasset.

Quod hic de principio physico dicitur respectu effectus physici, dici similiter debet de principio morali, jure scilicet seu dominio: Unde pro nullo priori in instante donationis, habet donans seu alienans, rei datæ dominium, sed solum potuisset habere, nisi per ipsum steterisset, & rem alteri dando, se illius dominio privasset. Donans itaque, illo instante non est proximè potens ad actus positivos circa rem datam justè exercendos, sed tantum est potens remotè, eodem planè modo, quo numero præcedente diximus de potentia ad actum supernaturalem.

Dices: ergo nec justè de re illâ disponit in ordine ad usum etiam destructivum, ovem scilicet occidendo, vel alteri donando, cum instante occisionis, aut donationis, secundum nos, non habeat illius dominium. Negatur tamen consequentia: ad justam enim rei destructionem sufficit illam immediate antè fuisse destruentis, hoc enim ad denominationem moralem abundè sufficit, nec à quocquam negari potest; sic enim quando homo unus

V.
Aliud est, posse dominium rei alicujus retinere, aliud acta illud retinere.

VI.
Res alienans, non habet illius dominium, sed potestatem tantum habendi seu retinendi dominium.

Potestas moralis proxima, & remota.

VII.
A simili ostenditur, aliud esse, habere dominium alicujus rei, aliud habere potestatem ad dominium.

Potè remotè ad aliquid censetur is, in cuius potestate est, ut sit potens proximè.

VIII.
Ius, seu dominium respectu moralis actuum, eodem modo se habet sicut principium physicum respectu actuum physicorum.

IX.
Ad rem justè destruendam sufficit, destruentem habuisse immediate antè illius dominium.

alium

I. Obi. donatio est exercitium domini; ergo illo instante debet esse dominium.

Donatio est usus domini destructivus.

II. Dices, instante quo quis rem destruit, potuisset potestatem alius circa illam exercere.

III. Instatur argumentum in corruptione physica rei.

IV. Instanti quo perit servus, dominus amittit illius dominium.

Responsio eorum, qui dicunt, Petrum, mortuo servo, esse dominum ejus physicum.

Dominus & servus eodem modo se habent, sicut Pater & Filius.

alium occidit injustè, Cain Abelem exempli gratia, facit ipsi injuriam; idque quia peccat contra jus ejus, non quod tunc habet, tunc enim nullum jus habet, cum tunc non sit, *destructis enim nobis*, ut habet dictum ab omnibus receptum, *destruuntur ea que sunt in nobis*, sed quia peccat contra jus, quod immediatè ante mortem habuit, & dominium vitæ, quo simul cum vitâ ipsum injustè privat. Sicut ergo jus quod Petrus immediatè ante habuit, denominat Paulum injustè cum occidentem, cur non potest jus & dominium, quod idem Petrus immediatè ante habuit, ipsum denominare, rem aliquam, equam scilicet vel librum, qui similiter immediatè ante erat illius, justè alienantem vel destruentem.

Ius & dominium quod Petrus habuit, denominat Paulum injustè cum occidit eum.

X.
Dominium præcedens, ad justitiam rei destructionem corrumpit ut conditio transiens.

Respondetur itaque, jus & dominium præcedens, ad usum hunc destructivum concurrere, non tanquam causam vel conditionem permanentem, sed tanquam conditionem transeuntem, quam vel sufficit fuisse, vel ad summum requiritur ita fuisse, ut sit indifferens ad existendum, in instanti quo transit, vel destruitur, quod in presenti contingit, ita enim donans aut destruens corrumpit vel alienat rem hanc, ut potuerit non alienare, nec corrumpere, quod si non fecisset, habuisset illius dominium hoc instanti, jam autem non habet, licet indifferens pro aliquo priori fuerit, ut haberet. Sic condonatio injuriæ necessariò præsupponit injuriam præcessisse; & in sententiâ, quam impugnamus, ut donatarius sequente instanti post instans donationis, rei datæ dominium acquirat, necessarium est donantem illius dominium immediatè ante habuisse. Quidni ergo sufficere idem poterit, ut donans rem alienet?

SECTIO QUINTA.

Aliâ quædam argumenta contententia, rem in instanti donationis esse donantis.

I.
Quo pacto dicitur illud, Nemo dat quod non habet, sit intelligendum.

OBJICIT secundò P. Arriaga num. 7. *Nemo dat quod non habet*, quod commune est axioma, nec minùs in moralibus, quàm physicis usurpatum; ergo quando quis dat librum, liber est ipsius. Contra primò: etiam dicitur, cum quis physicè rem corrumpit, ipsum rem suam, vel rem alienam destruere, & tamen instanti quo destruitur, nullus est, cum omnino non sit: unde sicut instanti antequam esset, nullus erat, ita nec instanti quo definit, cum æquè non sit hoc instanti, atque illo. Contra secundò: nihil utratius quàm dicere, cum qui alium injustè occidit, peccare tunc contra jus ipsius, nihilominus is tunc nullum jus habet, cum non existat, *destructis enim nobis*, ut Sectione præcedente diximus, *destruuntur ea que sunt in nobis*.

II.
In quibusdam propositionibus est ampliatio, vel distractio.

Respondetur itaque, in his & hujusmodi propositionibus, esse *Ampliationem*, vel *distraktionem*, ut Disp. 3. Introduct. ostendi sect. tertia, num. 4. quando scilicet verbum non significat pro tempore per copulam importato. Sic Deus dicitur remittere injurias inimicis, justificare impios: dicimus similiter, Justi peccant, cæci vident &c. id est, qui fuerunt inimici, impii, cæci, justi. sic similiter cum dicimus, donans ac destruens, justè dat ac destruit rem suam, seu quod habet; item occidens injustè Petrum, peccat, contra jus ipsius, intelligitur de re & jure, quæ immediatè ante erant ipsius, & citra hanc alienationem nullus habebat jus ad

rem illam, sed is illo instanti sponte se hoc jure privat.

Objicit idem tertio: si Deus Petro diceret, *dono tibi librum usque ad instans B, inclusive*, non posset is in instanti C immediatè sequenti, illud dare alteri; ergo ut possit quis hoc instanti rem alteri dare, non sufficit cum instanti præcedenti fuisse illius dominium, sed debet eo instanti esse dominus, quo illam donat, & intelligi debet dominium positivè ipsi illo instanti conservatum. Respondetur in hoc casu verum esse, non posse Petrum in instanti C, librum illum alteri dare, non tamen præcisè quia illo instanti non habet illius dominium, sed quia non est in potestate ejus ut si velit, illud retineat, sed antecedenter ad omnem actum voluntatis illius, dominium libri est ei in illo instanti ablatum: unde pro nullo priori instantis C, in potestate ejus fuit de illo disponere, vel conservando dominium, vel per alienationem, aut corruptionem destruendo.

III.
Præcisè quod dicitur in instanti B, debet positivè se illo instanti retinere illius dominium.

Ad id autem quod additur, ut jus aut dominium in instanti C, habeat effectum, debere intelligi dominium illud pro eo instanti conservatum, clarè meo judicio, refellitur exemplo superius allato, quando scilicet quis alium injustè occidit: jus enim quod is habet, ne hoc modo occidatur, non intelligitur instanti mortis conservatum, imò eo instanti unà cum eo destruitur, ut sect. præcedenti, num. 9. ostendi: sufficit itaque jus illud immediatè ante fuisse, ut loco citato fufius est declaratum.

IV.
Ostenditur, ut dominium habeat effectum in instanti, quo quis occiditur, non requiritur pro illo instanti conservatum.

Hinc solvitur id, quod magnâ contentione urgent Recentiores aliqui: cum donatio, inquit, sit exercitium domini, debet necessariò persistere dominium eo instanti, quo per donationem exercetur; nullus enim actus destruit potentiam cujus est actus: Respondetur enim, donationem, vel alienationem non esse propriè usum aut exercitium domini, sed solùm connotare illud immediatè ante præcessisse, sicut mors vitam supponit, servitus libertatem &c. & ut proximè diximus, quemadmodum jus quod quis instanti ante mortem habet ne occidatur, facit ut alius cum injustè dicatur occidere: sic jus & dominium, quod quis habuit immediatè ante instans donationis, sufficere poterit ad eum denominandum justè rem donantem seu alienantem, & dominium in alium transferentem, & ut hoc faciendo impediatur quo minus rei illius dominium in se continet: & si quis illo instanti post factam donationem rem illam usurparet, injuriam non donanti faceret, sed donatario.

V.
Alienatio non est propriè exercitium domini, sed connotat illud immediatè ante præcessisse.

Objicit P. Arriaga quartò, sect. illâ 2. num. 9. ut causa physica agat in aliquo instanti, non debet, inquit, præscindere, sed positivè in illo instanti habere debet in priori naturâ existentiam, ac proinde toto instanti illam conservare; ergo etiam ad validam donationem in instanti A, non sufficit quòd dominium habeat se pro illo priori præcisè, sed positivè existere debet in donante, alioqui non posset in actionem illam, seu donationem, influere.

VI.
Dicitur, causa physica in instanti quæ agunt, debet existere, ergo & in instanti.

At sanè mirum est, causas morales physicis in operandi modo assimilari, cum toto cælo inter se differant, ut hic ostendam. Contra ergo est primò: jus, ut sæpè dixi, quòd quis immediatè ante mortem habuit ne occideretur, influit in actionem occidentis, & reddit eam injustam; ergo non est simile causæ physica; nec ab hac ad causam moralem duci potest paritas. Contra secundò: si quis in Europa existens, bona habeat in Indiâ, quis hæc illic invito domino surripit, facit ipsi injuriam.

VII.
Lata inter causas morales & físicas in modo operandi differantia.

*Agens in
distans na-
turaliter
causa mo-
rales, non
physica.*

injuriam; ergo dominium, quod hic existit, agit in distans, nec ullo locorum intervallo definitur; perpetram tamen hinc quicumque intulerit, posse causas physicas in distans naturaliter agere, & ignem in Europâ posse stuppam in Indiis comburere, aut lupum Constantinopoli agnum Romæ existentem comedere. Contra tertio: si Petrus Paulo quidpiam testamentò leget, is non nisi primo mortis ejus instanti hæreditatem adit; ergo dominium Petri, non quod illo instanti est, unâ enim cum ipso extinguitur, sed quod immediatè antè in Petro erat, influit in justum rei illius eo instanti in Paulo dominium & possessionem: ergo etiam dicat ipse causam physicam, primo instanti, quo non est, operari.

VIII.
*Nec in loci,
nec in tem-
poris circū-
stantiis, cau-
sa morales
sunt simili-
physicis.*

Contrâ quartò: magis enim hoc urget, Siquis alicui hæreditatem non nisi multis annis post legantis mortem, adeundam relinquat; ut si dicat, hanc domum, vel agrum filio talis secundo-genito relinquoy qui tamen filius, ut facillè contingere potest, non nisi aliquot annis post mortem legantis nascitur: jus ergo & dominium, quod is ante mortem habuit, in justam domus hujus vel agris possessionè in accipiente longo post tempore influit, efficitque ut hic illius dominium jam acquirat: quis tamen propterea dixerit, posse ignem hodie extinctum, stuppam cras vel post decem annos producendam comburere. Hinc ergo apertè constat, à causis physicis ad morales nullum fieri argumentum posse, diversissimumque has inter & illas esse operandi modum. Nec de causis tantum necessariis hoc intelligendum est, sed etiam de liberis.

IX.
*Obijcies,
Possa Ange-
lum B, eodè
instanti quo
rem accepit
ab Angelo A,
dare eam
tertio.*

Obijcitur quintò: Eodem instanti quo Angelus A, dat gemmam v. g. Angelo B, posse hunc eandem dare Angelo C; ergo Angelus B, in primo instanti habet gemmæ illius dominium: patet consequentia, dat namque eam hoc instanti Angelo C; ergo habuit dominium illius, sed non antehoc instans, non enim habet nisi ex donatione Angeli A, sed hic solum dat eam hoc instanti; ergo dans habet in instanti

donationis, rei datæ dominium.

Sed ab iis qui hoc nobis opponunt, quærerem, utrum Angelus B, instanti illo quo res aliqua ipsi datur ab Angelo A, possit rem illam physicè destruere? Si respondeant, non posse, ut videtur manifestum. (præsertim si res detur primo instanti quo est producta, sic enim simul esset & non esset) hoc, inquam, si respondeant, ut respondere debent, solvunt ipsi suum argumentum: sicut enim dicunt illi non posse rem, eo instanti quo datur, destrui, quia hoc modo simul esset & non esset; idem dico ego de dominio. Potest itaque Angelus B rem sibi in instanti A datam, dare alteri, & dando alienare, sed non pro eo instanti, sed pro aliquo ex sequentibus, cum in transfusum dominium uno saltem instanti retinere debeat, alioqui eodem instanti reali haberet simul dominium, & non haberet.

X.
*Sicut rei, eo
instanti,
quo datur,
non potest
destrui, ita
nec illo in-
stanti destrui
potest domi-
nium.*

*Aliud est,
dare aliquid
hoc instanti,
aliud pro
hoc instanti.*

Obijciunt aliqui sextò: Donatarius in instanti donationis, rem habet dependenter à voluntate alterius; ergo illo instanti non habet rei illius dominium, cum dominium sit potestas utendi re aliqua independenter ab alterius voluntate; ergo vel id quod datur, est adhuc illo instanti donantis, vel nullius, & redditur adespotum. Sed contrâ, ergo nec secundo instanti erit res illa donatarii, cum secundo etiam instanti eam dependenter habeat à voluntate alterius. Respondetur itaque, duplicem esse posse voluntatem ejus, qui rem aliquam alteri permittit: altera voluntas est, qua solum rem ita ei concedit, ut in potestate suâ servet concessionem illam ubi placuerit revocare, & in hoc casu usum tantum rei illi permittit, reservato sibi dominio. Alia voluntas rem alteri cedentis, est ejusmodi, ut rem non tantum ad concedentis nutum ei utendam permittat, ut in priore casu, sed irrevocabiliter, sicque non usum tantummodo ei, sed etiam dominium largitur, plenèque eum, pro tempore quo rem ipsi hoc modo permittit, illius dominium constituit.

XI.
*Quid quis
rem habeat
dependenter
à voluntate
alterius, non
impedit sem-
per quo mi-
nus habeat
illius domi-
nium.*

*Duplex vo-
luntas rem
alteri per-
mittendi,
revocabilis,
& irrevoc-
abilis.*

DISPUTATIO XXXV.

Positne Deus creaturæ rationali obligari ex Iustitiâ strictè dictâ.

HOC est, utrum per operationes & merita hominum obligari possit Deus ad præmium, actionum harum intuitu, intercedente præsertim promissione, ita largiendum, ut si id negaret, non infidelis tantum esset, ut apud omnes est in confesso, cum non staret promissis, sed etiam injustus: quæ de re acerrimè inter se disputant Theologi, affirmantibus aliis, aliis negantibus. Quam proinde questionem, cum gravissima sit, maximeque in Scholis controversa, paulò hic accuratius discutiam.

SECTIO PRIMA.

Prænotantur quedam circa notionem Iustitiæ.

I.
*Deo, titulo
creationis,
cõpetit per-
fectissimum
in res omnes
dominium.*



NOTANDUM primò: Deo, ratione creationis & conservationis, perfectissimum competere in res omnes dominium, quod non ita convenienter in titulo excellentiæ fundant aliqui, hoc enim titulo non sumus propriè Dei, ut domini proprietatis; dignitas quippe excellentiæ dominium jurisdictionis potius fundat, quam proprietatis; illo enim titulo cultus ei religionis debetur, & observantiæ, sicut ob dominium proprietatis obstringimur illi ex iustitiâ.

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

Notandum secundò: perfectissimum nihilominus hoc Dei dominium non obstare, quo minùs res aliqua creatæ verè sint nostræ, ac proprium habeamus earum dominium, idque dupliciter; quædam siquidem nostra sunt à natura, ea scilicet quæ vel operamur, vel nobis sunt unita, quorum proinde emolumenta & fructus nobis etiam competunt, tanquam res verè nostræ. Alia autem nostra sunt, non à natura, sed vel à Deo solo, qui omnium Dominus est, immediatè collata, vel data à communitatè, in quam ad hoc à Deo derivata est potestas: per quam collationem & distributionem fit dominiorum inter homines divisio; sicque morali reputatione ita censentur hæc vel illa bona ad tales vel tales in ordine ad eorum usum spectare, ac si à naturâ, hujus potius quam illius hominis essent.

II.
*Hoc tamen
Dei domi-
nium non
obstat, quo
minùs res
aliquæ crea-
tæ sint verè
nostræ.*

*Dupliciter
res sunt nô-
stræ.*

Notandum